Wilczek Danielis: Disputatio philosophica de multitudine formarum unius viventis.

DISPVTATIO PHILOSOPHICA.

De multitudine Formarum vnius viuentis.

Quam

DEI OPT. MAX. auxilio,
Sub felicibus auspiciis Adm. R. P. ac Magnifici Domini, M. Basilij Golenij Sacræ Theol. Doct. ac Professoris, Canonici Cracouien. Theol. Facultatis Decani, Vniuersitatis Crac. Generalis RECTORIS,

In alma Academia Cracouien. discutiendam publicè proponit

DANIEL WILCZEK,
Artium liberalium & Philosophiæ Magister.

Permissu M. D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cesarij,
Anno Domini, M. DC. XXIII.

v.

AD INSIGNIA.



HInc Cydaris sacris clara, illinc Fascia factis,
Dat Deus hoc, illud Patria habere decus.
Hoc typus Officij, hoc Virtutis: fundat vtrumq;
Sanctâ progressus in Pietate suos.
Felix STARCZEVI Virtus quem promouet, ornat
Cum Patria Numen, Relligioq; beat.

Perilluſtri ac Reuerendiß: Domino,

D. STANISLAO STARCZEWSKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, EPISCOPO LACEDÆMONENSI; Suffraganeo, Abbati, & Canonico Plocen. &c. Domino, & Patrono benigniſsimo.

M. Daniel Wilczek S. & F.

ACademicâ lege ita iam ſancitum est, Perilluſtris ac Reuerendiß: DOMINE, vt eadem ferè ſit Philoſophis, quæ & Theologis diſputandi ratio. Vt enim hi, ſiue pro complendo laborum ſuorum Curſu, ſiue pro conſequendis in Sacra Facultate honoribus & præmijs, Quæſtionibus quà manu ſcriptis, quà etiam typis procuſis publicè contendunt: ita illi ſtipendiario Profeſſorum Ordini adſcribi volentes, præter illos non parùm graues Philoſophicos, vt vocant, Actus, atq; laborioſam illam, quam ex Officio ſuſtinent, Diſputationum molem, Quæſtiones itidem typis manda-

tas Publico certamini proponũt, ſeſe omnibus omnium artium ac diſciplinarum Profeſſoribus oppugnãdos obijcientes. A quo certè ego, prudenti alioqui maiorum inſtituto, ne transuerſum, quod aiunt, vnguem diſcederem, dum in Academia noſtra æquali cum alijs Competitoribus contentione, ſtipendiariæ Profeſſionis munus ambio, laudabilem illam de CORPOREITATIS FORMA *Quæſtionem publicè diſputandam, in Philoſophicam arenam produco. Graue quidem ingenij viribus negotium! ſed eius omnem grauitatem ſuſtentat & alleuat quodammodò Tuum Reuerendiſs: D. cui eam Diſputationem inſcribo, Patrociniũ. Ecquod enim quamlibet arduum ac difficile onus, nõ mediocre tenuéue præſidio tanti Patroni exiſtat, cuius ſingularem prudentiam, conſilium, integritatem, animi magnitudinem, Regi, Pontificibus, Principibusq́ in Repub. viris, domi foriſq́ probatam, omnes ordines atq́ ſtatus æquè commendant? Te, Reuerendiſs: Antiſtes, auguſtiſsima Diœceſis Płocenſis, cuius in rem & cõmodum ſedulam ſemper impendis operam, incredibili Affectu proſequitur. Te Conuentus eiuſdem Capitulares in conſilijs de rebus maximis dandis, iudiciis ferendis, ſententiis dicendis, Oraculi propemodùm*

dùm loco ac numero habent. Industriam Tuam & fidem Illustrissimis MARTINO SZYSZKOWSKI Crac. ac HENRICO FIRLEY Plocen. Episcopis suæ Virtutis ac Felicitatis immortalitate dignissimis notam & acceptã, testatur sollicita Boni Ecclesiastici Procuratio. Pietatem & Religionem comprobat Templi Cœnobijq́ Abbatialis sumptuosa Ædilitas. Diligentiam & sedulitatem in tractandis publicis priuatisq́ negotiis, declarant & nocturnæ Vigiliæ, & quotidiani Labores Tui. Atq́ has tantas animi Tui dotes, Religiosissimus REX SIGISMVNDVS. quem & omnes confitentur, & res ipsa loquitur, cùm in cæteris rebus rarâ quadam & exquisitâ prudentiâ, tum miro in pernoscendis hominum ingeniis acumine, & maturâ in ornandis cuiusq́ virtutibus voluntate præditum esse, cùm ad præclara quæq́ gerenda se efferentes olim cognôsset, primùm quidem Te in augustissimum Cathedralium Canonicorum Plocensium Collegiũ adscitum esse voluit: deinde verò Abbatiâ Plocensi cohonestauit: tum non multò post ad inclytam Episcopam Lacedæmonensem, & Suffraganeatũ Plocensem magno Christianæ Reipub. bono, & admirabili omnium ordinum gaudio euexit. tantaq́ auctum dignitate, in iisdem adhuc muneri-

 bus de-

bus detinet, vt difficile iudicatu sit, vtrum optimus ac sapientissimus PRINCEPS, maiora comparârit præsidia Felicitatis, an Insignia quæsierit Honoris Tui. Quare cùm omnes curas, omnes vigilias atq; labores in promouendâ ornandaq; rei Ecclesiasticæ dignitate defigas, non possunt non grata acceptaq; Tibi accidere, quæ pro illius Amplitudine & Ornamento collata sunt in medium. Accedit & Doctrina multiplex, & excellens à natura Ingenium, & cùm omnium magnarum rerum vsu, tum Philosophiæ cognitione haud imperitum Iudicium Tuum, quo Tibi facilem aditum per aulas Palladias, perq; spatia Academiarum, ad abditas geminæ sapientiæ opes, aperuisti: Sic tu à Tantis Parentibus non degener alumnus, rudiori huic Disceptatiunculæ meæ, patentiorem & tutelæ, & gratiæ sinum pandere non detrectabis. quin potiùs Literas rebus & factis ornare, & ingenia liberalibus vbicunq; subsidiis subleuare assuetus, istud deuotissimæ erga Te voluntatis meæ qualecunq; argumentum, libenti ac prono animo abs te accipi, Meq; in numero eorum, quos eximiæ Tuæ Virtutis admiratio adiunxit Tibi, censeri patieris. Vale, viueq; diu ac felix, Mæcenas Amplissime, in Patriæ ac Reipub. Christianæ decus & præsidium. Cracouiæ Prid. Id. Martij 1623.

QVÆSTIO.

V. in aliquo Composito substantiali Viuente posint esse plures Animæ realiter distinctæ, multiplicatæad numerum prædicatorum Essentialium Compositi, simul cum Forma Corporeitatis, quæ á Forma specifica distinguatur, aliasq; formas Partiales pro distinctione organorum secum admittat, necne?

CONCLVSIO I.

IMmota est veritas dari in rerum naturā Compositum Substantiale Viuens.

Corollaria.

1. *Omnes res naturales seu Corporeæ (materiâ exce-*

exceptâ) constant formâ substantiali, tanquam principio intrinseco, & causa formali.

2. Forma substantialis est Causa Compositi.

3. Compositum substantiale perfectius habet esse, quàm sua Causa quælibet intrinseca diuisim accepta.

4. Falsum est formam Rationalem eadem actione, quâ totum Compositum, fieri.

5. Vnio partium Compositi substantialis, & à materia & à forma secundùm diuersa genera causatur.

6. Probabilius est, vnionem Compositi materialis esse vnam tantùm, eamq; tenere se ex parte formæ.

7. Compositum accidentale est effectus formæ accidentalis, quoad rationem formalem.

CONCLVSIO II.

NOn dantur plures Animæ realiter à se distinctæ in vno atq; eodem Composito substantiali Viuente.

Corollaria.

1. In vnoquoq; Viuentium vnica numero dun-

taxat

taxat est Anima, quæ cæteras virtute ac potentiâ continet.

2. *Virtualiter continere nihil aliud est, nisi plùs posse naturalibus potentijs in operatione, quàm illud, quod continetur.*

3. *Vegetatiuum & Sensitiuum tametsi insint homini & bruto; non insunt tamen, vt distincta ab inuicem, verùm vt identificata realiter.*

4. *Non est omninò simplex illa identitas Vegetantis & Sentientis comprehensarum eminenter in Rationali.*

5. *Non prohibet quidpiam distincta formaliter, vel quasi specificè vnitiuè, vel etiam per identitatem, in vno eodemq́; Composito substantiali reperiri.*

6. *Quemadmodum fictitium ac ludicrum est dicere in morte Christi Domini separatâ animâ intellectuali, mansisse in sepulchro Corpus viuum vitâ animantis, vel ad minùs sensitiuâ: ita tunc easdem illas Animas separatas fuisse, aut corruptas Theologicæ veritati apertè repugnat.*

7. *Non modò secundùm diuinam fidem, sed etiam secundùm veram Philosophiam ac ratio-*

nem naturalem perspicuum est, Vnumquodque corpus humanum habere suam propriam Animam intellectualem, distinctam ab aliorum quorumcunque animabus, etiam mortuorum, atque adeò tot numero esse animas, quot humana corpora.

CONCLVSIO III.

IN Composito substantiali Physico, non sunt ponendæ tot numero formæ substantiales realiter distinctæ, quot sunt prædicata quidditatiua, quæ de ipso dicuntur.

Corollaria.

1. In Causis formalibus essentialiter accidentaliterúe ordinatis, impossibilis est processus in infinitum, etiamsi nullus ordo essentialis ponatur, sed simpliciter est deueniendum ad vnum primum Effectiuum in quouis genere & ordine.

2. Ac multò magis eiusmodi infinitas à Causa materiali permanente excluditur.

3, Neque prædicata essentialia in eadem re progressum in infinitum admittunt.

4. Correspondent secundùm Arist. 7. Metaph.

cap: 10.

cap: 10. partes definitionis vnitæ, vt genus & differentia, partibus definiti, quod conuertitur cum definitione, sed nequaquam partes realiter distinctæ diuisim sumptæ.

5. A formarum numero rectè potest colligi prædicatorum multitudo, tanquam à Causa & à Priori, non tamen formarum multitudinem à numero prædicatorum venari conuenit.

6. Animal cùm sit vnum continuum, fit vt non constet partibus siue formis specificè distinctis.

7. Impossibile est, indiuiduum per eandem formam esse Ens, substantiam atq́ue Corpus, quin per eandem sit simul & species & genus.

CONCLVSIO IV.

PRæter vltimam formam specificam, quæ Anima dicitur, non est ponenda in Composito substãtiali forma Corporeitatis coæterna materiæ, realiter distincta à forma specifica.

Corollaria.

1. Prima Causa materialis substantiarum ge-

nerabilium, neque ſecundùm ſe habet formam Corporeitatis, neque ſecundùm ſe eſt Corpus aliquod ſeu Subſtantia completa atque integra in eſſentia & ſpecie ſubſtantiæ.

2. Ad Subſtantiarum generationem non ſupponitur per modum ſubiecti, in quo generatio recipiatur, aliquod corpus ingenerabile & incorruptibile, ſed ſolùm materia prima quoad ſubſtantiam.

3. Cauſa materialis rerum generabilium non eſt ſubſtantia compoſita ex ſubſtantiali potentia, & aliquâ formâ ſubſtantiali incompleta, & quaſi generica.

4. Non eſt neceſſe ad ſubſtantialem generationem, præcedere ſubiectum generationis, quod ſit ex materia & aliqua forma Compoſitum.

5. Error eſt ſecundùm gradus genericos & ſpecificos ſubſtantiarum materialium multiplicare formas ſubſtantiales realiter diſtinctas.

6. Licet forma quaſi generica & ſpecifica, per potentiam Dei abſolutam poſſint ſimul actuare materiam: tamen quòd duæ formæ eiuſdem ſpeciei ſimul coniungantur ad actuandam eandem

poten-

potentiam ſubſtantialem, ex natura rei eſt planè impoſſibile.

7. In re quæ generatur, licet non maneat aliqua forma ſubſtantialis, quæ erat in re corrupta: accidentia tamen corrupti eadem numero manent in re genita.

CONCLVSIO V.

In Viuente quolibet non ſunt plures formæ ſubſtantiales. v. g. in Homine non eſt Forma alia oſsis, alia carnis, nerui &c. ſed vna & eadem vltima forma ſpecifica, vt in Homine Anima Rationalis, dat omnia iſta Eſſe partialia; pro diuerſitate diſpoſitionum, quæ ſunt in diuerſis partibus corporis humani.

Corollaria.

1. In viuentibus habentibus diuiſibilem animam & coextenſam materiæ, facilè concedi poteſt, in diuerſis partibus heterogeneis, eſſe diuerſas partes formæ heterogeneas.

2. Secus in partibus humani corporis heterogeneis

neis accidit, in quibus vnica forma, & uon plnres partiales reperiuntur.

3. Verisimile tamen est plures partiales formas homogeneas, vnam formam totalem integrantes, in eodem Composito inueniri.

4. Partes animalis non differunt specie perfectâ, propriè loquendo, licet specie imperfectâ, hoc est, diuersis dispositionibus distinguantur.

5. Capilli, pili, vngues, aliæque omnes huiusmodi partes eadem animâ substantiali totius informantur.

6. Sanguis cum reliquis humoribus, cholerâ scilicet, phlegmate, & melancholiâ, est de essentia ac integritate naturæ viuentis, tanquam id sine quo eius vita consistere nequit.

7. Anima cuiuslibet animalis sanguinei ita informat sanguinem, vt sanguis sit pars integralis talis animalis. informatur autem quoad esse vegetatiuum, & non sensitiuum; quod ipsum etiam de alijs tribus humoribus asserimus.

Quæstio hæc cum suis Conclusionibus & Corollarijs decidetur ac disputabitur in Collegio Maiori DD. Theologorum, Hora 12. Die 15. Martij. Anno 1623.

IN STEMMA ACAD. CRAC.

QVod Cracijs Muſis erexit Apollo Lyceum,
Olim Palladiæ credidit illud opi.
Senſit quippè hoſtes confines affore Regno
Artibus excidium quos agitare iuuet.
Vtq; aliquo ſobolem tutamine redderet auctam,
Arma ſibi caſtris miſit ab Aoniis.
Pro Scuto DIADEMA; Duo, pro Cuſpide, SCEPTRA;
Hoc, ait, eſto diu pignore tuta cohors.

Immortali Deo gloria immortalis.